

tur tam fortis, quam sanctus Job; cui secundus adjudicari potest, qui parem vix reperit?

VIRTUTEM BELLICAM NOSTRIS ETIAM NON INUSITATAM.

Sed fortasse aliquos bellica defixos gloria tenet, ut putent solam esse praeliarem fortitudinem, et ideo me ad ista deflexisse, quia illa nostris deforet. Quam fortis Jesus Nave, ut uno praelio quinque reges captos sterneret cum populis suis¹⁾? Deinde cum adversum Gabaonitas urgeret praelium, et vereretur, ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis et fidei clamavit: Stet sol;²⁾ et stetit, dum victoria consummaretur. Gedeon in trecentis viris de ingenti populo et acerbo hoste revexit triumphum. Jonathas adolescens virtutem fecit in magno praelio.³⁾ Quid de Machabaeis loquar⁴⁾? sed prius de populo dicam patrum, qui cum essent parati ad repugnandum pro templo Dei, et pro legitimis suis, dolo hostium die lacessiti sabbati, maluerunt vulneribus efferre nuda corpora, quam repugnare, ne violarent sabbatum. Itaque omnes laeti se obtulerunt morti. Sed Machabaei considerantes, quod hoc exemplo gens omnis posset perire, sabbato etiam, cum ipsi in bellum provocarentur,ulti sunt innocentium necem fratrum suorum. Unde postea stimulatus rex Antiochus, cum bellum accenderet per duces suos Lysiam, Nicanorem, Gorgiam, ita cum orientalibus suis et Assysiis attritus est copiis, ut quadraginta et octo millia in medio campi a tribus millibus prosternerentur. Virtutem ducis Judae Machabaei de uno ejus milite considerate. Namque Eleazarus cum supereminentem caeteris elephantum, lorica vestitum regia, adverteret, arbitratus quod in eo esset rex⁵⁾, cursu concitus in medium legionis se proripuit, et abjecto clypeo, utraque manu interficiebat, donec pervenit bestiam, atque intravit sub eam, et subjecto gladio, interemit eam. Itaque cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est.

1) Josuë 10. 2) Judic. 7. 3) 1 Reg. 14. 4) Mach. 2. 5) Mach. 6.